# EPISTOLA

AD

# Regiam Societatem LONDINENSEM;

Qua de nuperis Terræ-Motibus differitur, & Veræ eorum Cauſæ eruuntur.

per Edw. Waple

*LONDINI*,

Veneunt apud *Rand. Taylor* in Vico vulgo vocato *Amen-Corner*: Ubi etiam Proſtat liber cui Titulus Aſtro-Meteorologia Sana. 1693.

# EPISTOLA

AD

# Regiam Societatem

# LONDINENSEM;

Qua de nuperis Terræ-Motibus differitur,
& Veræ eorum Causæ eruuntur.



LONDINI,

# REGIÆ SOCIETATI,
AD
# Naturales Scientias promovendas Londini inſtitutæ
S.

DUM deplorandum *Siciliæ*, & *Jamaicæ* Inſulæ Fatum, attentius animo revolvo; ſæpe mirari ſubiit, quid ſit, quod Viri alioquin Sagaces, & in rerum Naturis inveſtigandis verſati; Veras

*Terræ-Motuum* causas, ipsi non viderint, & ab aliis visas, scriptoque in lucem editas, prorsus contemplerint. An Communi Hominum Vitio hoc factum est, dum quisque suo studio contentus, contemnit aliena? An ex Invidia fieri dicamus? cujus nonnihil, aruginis instar, bonis etiam mentibus adhærere solet; & (juxta *Hesiodeum* illud) Literatorum, non minus quam Plebis Greges inficere; qui ex mutuo quasi conspectu, a se invicem livorem ducunt; labe, a paucorum contagione, paulatim in totum pœne corpus serpente. Certe, quicquid demum in causa siet; ita usu venit, ut etiam Literatorum Collegia, novarum Artium progressibus obstiterint; quæ nec usu, nec voluptate illis cedant, quas maximopere fovent, & sectantur: inter quas, illa quæ Astrorum Vires, & Influxus

fluxus quærit, merito est censenda; quam tamen e Republica sua cum infamia ejecerunt, tanquam nugacem, falsam, & impietatis, jure damnandam. Nolo ab hac culpa prorsus liberare; at (ut cum (a) *Ptolemæo* loquar) sive illam hujus Scientiæ Partem, quæ Mutationum Aeris, Morborum Epidemicorum, Cometarum, Terræ Motuum, aliorumq; Universalium Naturæ Effectuum, Causas generales investigat, sub Astrologiæ Titulo (Eruditorum non minus, quam Plebis vulgo, vel ob ipsum nomen infami) proscribere, causa indicta & inaudita, injustum est, & in libera Philosophiæ Republica vix ferendum. Ausim enim dicere (& quid-

(a) *Tetrab.* 2. 1.

ni

ni dicam, cum nonnihil expertus loquar!) Scientiam istam etiam Veritate certare posse, cum nonnullis earum, quæ Demonstrationes tantopere crepant; ipsamque adeo Astronomiam, minore in pretio habendam, si Astra in Inferiora non agant. Cui enim quæso usui (modo contemplationis Voluptatem auferas, & paucula ad rem Nauticam, Chronologiam, aliaque forsan minoris momenti, spectantia) quis in edito positus; Astrorum motus contempletur, & horrendis calculi laboribus in leges cogat; si modo nihil exinde virtutis in nos defluat, nec imminentes Mundo Tempestates a specula prospectare possit? *Quid tu* (inquit *Seneca* paulo animosius) *tot millia Siderum judicas otiosa lucere*? aut tantum Furibus, & scortatoribus morem gerere? Putabimusne (rem apud vos reputate, Viri Prudentes,

res, & Sagaces Naturæ Mystæ, Effectus Astris tribuit non oportere, qui una cum recurrentibus Astrorum vicibus recurrunt? aut illos Terræ Motus, a Cœlis, aliquo saltem modo, non dependere, quos horrendus (a) Cœlorum Fragor comitatur? Nolo autem causam hanc, apud vos æquissimos rerum Æstimatores diutius orare; sed potius Rem omnium oculis subjiciam; Nuperorum Terræ-Motuum Causas Cœlestes digito quasi Monstrando, secundum Principia Artis Astro-Meteorologicæ a Viro (b) Sagaci, & harum rerum peritissimo, haud ita pridem divulgata; Mul-

(a) *Vid. Narrat. Terræ-Mot. in* Sicil. *&* Jamaic.

(b) *Vid.* Joh. Goad's Aphorisms and Discourses of the Bodies Celestial. *Lond. An.* D. 1686. *& ejusdem Astro-Meteorologia Sana Lond. Latino Sermone edita An.* 1690. *quæ prostat apud* Sam. Smith, *ad insignia Principis in Cœmiterio Paulino.*

tiplici ejus experientia, non minus quam *Chaldæorum*, *Ægyptiorumque* ab omni retro antiquitate, Authoritate munita, & comprobata. Quod eo libentius fecerim quoniam idem ille Sagax Naturæ Interpres, sex abhinc annis (a) prædixerat, ex Artis suæ Principiis magna aliqua Naturæ portenta eventura, Annis 1692, 1693, 1694 et 1695. inter quæ, Terræ-Motus, Pluviosas Tempestates, Inundationesque recenset; quibus annum proxime elapsum infamen fuisse, recens omnium Memoria testatur.

Talis autem erat, secundum (b) Artis

(a) *Vid. ejus* Aphorismis, &c. *pag.* 500.
(b) *Astro-Meteor. Sana in Præfat. pag.* 12, 13. & *pag.* 12. *Aphor.* 13.

ejus

ejus Principia, Cœli σχηματισμὸς, cum *Ætna* Mugire cœpit Dec. 28. St. Vet. 1692. sub 10 noct. hor.

♊ 12 ♃ ℞
♃ 7 ☿. 17 ♄. ♈ 5 ♂ Tard. 18. ☉. = 5 ☽. 6 ☿ Tard.

Hic vides *Martem* & *Mercurium* (*a*) tarde incedere; illumque a (*b*) Tropico Hyemali paucis tantum gradibus abesse; Tria etiam Signa occupari ordine (*c*) valde notando, & Tres Planetas versari in (*d*) *Geminis* & *Sagittario* Signis admodum violentis, turbidisque eorum locis; &, quod caput rei est; (*e*) *Platice opponi*

(*a*) *Astro-Meteor. San. pag.* 13. (5)
(*b*) *Ibid. pag.* 15, 16, 164.
(*c*) *Ibid. pag.* 23. (4)
(*d*) *Ibid.* 71, 92, 93, 105, 106.
(*e*) *Ibid. Pag:* 29. *Aph.* 9. *pag.* 64, 65, 164, 166, 167.

*Ve-*

*Venerem, Saturnum, & Jovem Retrogradum, in (a) gradibus violentis, & ordine (b) notando; & sub ipsum Augitus Momentum, (c) Lunam, Mercuriumque conjunctos fuisse, quem (d) Terram quammaxime movere omnes notarunt.*

Proximo die terra tremuit, & tonuit horrendum fulgurabatque, idque per tres dies continuos; Luna (e) tunc propius versus Æquinoctium tendente, & Quadrato (f) Aspectu, eoque Multiplicato, respiciente *Saturnum, Venerem, & Jovem*; & *Venere in Oppositionem cum Jove properan-*

(a) Pag. 91, 92, 93.
(b) Pag. 20 (2) 23 (3)
(c) Pag. 168 (1) 169 (3)
(d) Pag. 47, 48. 165.
(e) Pag. 15 (9)
(f) Pag. 28 (6) 31 (12) 169 (3)

*te;*

te ; *quem* (a) *Positum quammaxime tonare, Terrasque concutere* ; observavit idem diligentissimus, fæliciſſimusque Naturalium causarum investigator. Quod Verissimum esse *Sicilia* damno suo experta est ; nam (exemplo luctuoso, & tremendo) quarto die post montis mugitum (Jan. nimirum primo St. Vet. An. 1693. inchoante) mota est *Sicula Tellus*, cum Hominum Strage antea inaudita, & horrendo Cœli fragore, ultimæ Conflagrationis æmulo ; *Sub Partili Oppositione Retrogradi Jovis, & Veneris ; & Platica Oppositione Saturni & Jovis* ; *Luna* interim decem tantum gradibus ab Æquinoctio Vernali distante, circa ipsum Terræ-Motus Momentum, ho-

(a) Pag. 167 (1) (2) (3) 169 (2)

ram nimirum tertiam Pomeridianam; & *Mercurio* (quod non leviter est observandum) tunc Stationario in ordine ad Retrogradationem; secundum verissima ista Artis Astro-Meteorologicæ (a) Effata, viz. *In omni pæne Tempestate dira, Terræ Motu, Peste, & Sublunarium Commotione Majori, aliqui Planetæ sunt Retrogradi, aut Stationarii.* Et, *Potentius Ignes subterraneos excitat, & irritat, Mercurius in Statu Retrogrado, quam Directo, quod Terræ tunc sit propinquior.*

Ex ejusdem quoque Artis Doctrina, ratio reddi possit Terræ-Motus qui *Insulam Jamaicam* concussit Jun. 7. St. Vet.

---

(a) *Vid. Astro-Meteor. Sana, pag.* 23. (5) 165 (1)

An.

An. 1692. Semihora ante Meridiem. Ephemeridas enim consulenti, patebit; *Saturnum Retrogradum, Jovem tunc Platice oppositisse*; & *Mercurium Retrogradum fuisse*. Quin & *Solem ad* (a) *Tropicum Cancri tendentem spectabit*; & (b) *Lunam* (b) *Martemque Tardigradum in locis violentis; omnesque Planetas pessime* (c) *Positos ad perniciem hujus Puncti in quo Versamur*: Tres enim Planetæ in Leone tunc versabantur, dum quatuor reliqui in Geminis & Sagittario degerent, Principium, Medium, & Finem eorum occupantes; Unde Ordo (d) Signorum maxime notandus exurgebat.

---

(a) *Astro-Meteor. San. pag.* 14 (7) 164 Aphor. 1.
(b) (b) *Ibid. à pag.* 96, *ad* 100. *& pag.* 154.
(c) *Ibid. pag.* 23. (3) (4)
(d) ♊ ♌ *Ibid. pag.* 23.
♐ 3
4

Multa

Multa quoque ejusmodi observari possint, in *Tremore* qui accidit Londini Sept. 8. St. Vet. 1692. circa hor. 2. pm. In quo, manente adhuc oppositione Platica Saturni & Jovis, & Luna tunc existente (*a*) circa Tropicum Hyemalem; Æquinoctium Autumnale (sub (*b*) *Æquinoctiis* autem, reliquisque *Mundi Quadratis*, *Terras crebrius moveri*, notarunt *Babylonii & Etrusci*, suffragante recentiorum Experientia) utrinque quasi obsidebatur, hinc a Sole, inde a Marte; qui Situs (*c*) est valde Turbidus, & etiam Pestilentialis. *Venus* quoque tunc erat Retrograda, &

(*a*) *Astro-Meteor. San. Pag.* 14 (7) (8)
(*b*) *Ibid. pag.* 15, 16, 164.
(*c*) *Ibid. pag.* 17. 144. *Zyhor.* 4.

Mer-

Mercurius Stationarius in ordine ad Retrogradationem.

Hæc Vobis ſcripſi (*Naturæ Conſiliorum Participes*) non animo in vos malevolo, nec contradicendi Studio, ſed ſolo Veritatis amore ductus; & ut vos excitarem ad longe meliora proferenda. Nec exiſtiment Imbecilles Animi, & μικροψυχία laborantes (quo vitio nihil magis Veritati nocet) nos Impietati, hoc ſcripto famulari; ſed vobiſcum potius reputent omnes, quibus non

*Frigidus obſtiterit circum præcordia Sanguis,*

potius Dei (*a*) Sapientiam, *Ma-*

(*a*) *Vid. Præfat. ad Aſtro-Meteor. Sanam, & Nobiliſſimi* Boylii *ſcripta de Utilitat. Philoſoph. Experiment.*

jeſtatem, & Potentiam in admirandis ejus Operibus, hic patefieri, & illuſtrari; & ſimul *M*ortales moneri, Juſtitiam & Veram Pietatem diſcere; dum vident hujus Orbis Inſulam κατείδωλον, Italiæ quondam partem (poſtquam *Dagon* (*a*) *ejus Tutelaris*, lapſu ominoſo Septies in Terram cecidiſſet, ) Fato perire quaſi Prænuntio Cladis (*b*) ab Italia in Ultima Conflagratione incœpturæ; aliamque alterius Orbis Inſulam, omni generi turpium Vitiorum deditam, magna ſui parte ſimili Fato periiſſe; quæ documento inſuper hominibus eſſe poſſint, totum hunc Mundum hoc pacto

(*a*) *Vid. Narrat. Terræ Motus in* Sicil. *ab* Italo *Sacerdote conſcript.*

(*b*) *Vid.* Burnet. *Theor. Tellur. lib.* 3.

olim

olim periturum ; & Idololatriam, flagitioſoſque *Mores*, Divinæ Iræ Cauſas præcipuas eſſe.

*FINIS.*

---

ERRATA.

Pag. 4, lin. 14, leg. ex illis.

olim periturum; & Idololatriam, fla-
gitiosoque Mores, Divinæ Iræ Causas
præcipuas esse.

FINIS.

---

ERRATA.

Pag. 4, lin. 14, leg. ex illis.